Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 987
Quelle:
Copyright:

ſtrium. Codex: *quia per uniuerſum mundum eſt conſtituta. uel quod catholica hoc eſt generalis in ea doctrina eſt ad inſtructionem hominum de uiſibilibus rebus caeleſtium.* τω *uiſibilibus* manu coaeva rite impoſitum erat *in* (inviſibilibus) quod Sciolus quidam prava Exemplaria ſecutus erafit; ego vero reſcribendum puto. Quid enim Eccleſia doceret de *Viſibilibus*, maxime *Terreſtrium?* Itaque et iſtud in Cod. noſtro recte omiſſum eſt. C. 3. edit. *et utrorumque ſexuum diſtinctis claſſibus ſe ac ſororem præcinere deo in choris carmen triumphale perdocuit.* Codex: *Cum utrorumque — ſe ac ſorore praeeunte canere domino — perdocuit.* Idem edit. *Corona enim proprie multitudo canentium eſt.* Codex: *Chorus enim* &c. quam lectionem ipſa Edita confirmant; ſequitur enim: *quique*, quod utique ad nomen maſculini generis adpellat. C. 4. edita: *Quando — Iſraeliticus populus — ad deſertum gratulabundus egreſſus eſt.* Codex: *Quando* (Moyſes) — *cum populis — egreſſus eſt.* Haec lectio rurſus ſtabilitur ab ipſis Editis; ſequitur enim: *dicens: Cantemus Domino* &c. Moyſes nempe Cantici Autor *dicens.* Atque haec ad Codicis pretium demonſtrandum dicta ſufficiant. *Liber* II. itidem *Capitum* Elenchum prae ſe fert, ſed non agnoſcit ultima illa *duo* Capita *de Suffragiis Eccleſiae*, quae habentur in Editt. *Pariſ.* 1570. *Colon.* 1617. et noſtra *cit.* Abſunt vero a *Lipſ.* 1534. *Colon.* 1568. et *Rom.* 1591. et merito, ſi quid video; nullum enim cum praecedentibus nexum habent. Eorum loco Codex noſter, uti Editio *Rom. cit.* brevem habet Epilogum, qui tamen e plurium Exemplorum collatione ſanandus eſt.

II. *fol.* 51. ſequitur manu, ut deinceps, Sec. XII. *Catecheſis* brevis *Liturgica* de Miniſtris Eccleſiae, de Miſſa et Sacramentis absque Autoris nomine, hoc initio: *Interrogatio. Oſtiarius vnde dicitur? Reſp. Ab eo quod ipſi primo concedatur eccleſie ianuam uel aperire uel claudere* &c. Ultima Interrogatio: *Quare circa finem miſſarum oſculo pacis ſibi coniunguntur fideles?* Sub finem haec leguntur: *De VII. Gradibus.*

Hi ſunt ſeptem gradus quibus Chriſtus complectitur.
Lector fuit quando aperuit librum iſaie.
Exorciſta quando eiecit VII demonia de maria magdal.
Subdiaconus quando fecit de aqua vinum.
Diaconus quando lauit pedes diſcipulorum.
Sacerdos quando accepit panem et benedixit.
Hoſtiarius quando percuciebat oſtia inferni.
Epiſcopus quando eleuauit manus et benedixit apoſtolis.

Similia